

praeocialibus excerpendis, et a fidelibus Parocho dandis¹. Dicuntur iura stolae, ex eo quod huiusmodi praestationes tunc generatim solvuntur, quum Parochus in alicuius fidelis favorem stola utitur².

II. Spectant ad solos Parochos, vel ad eorum Vicarios, qui nempe constitutus in ecclesiis filialibus, non vero ad eorum cooperatores seu vice-parochos, nisi ex consuetudine aut statuto Episcopi aliud cautum sit³.

III. Quae et quam quantitate stolae iura a fidelibus Parocho praestanda sint, ex locorum consuetudine et peculiaribus legibus eruumdum est⁴. Si quae sunt incerta in hac materia, ut ab Episcopo exactius ordinentur, decet⁵.

IV. Pro nuptiali vel exsequiali missa quam alii celebrandam committat, ordinariam tantum eleemosynam Parochus dare potest retento pinguiori stipendio quod pro ipsis missis datur, modo ratione officii parochialis, et propter officia paroeociali beneficio inhaerentia eleemosyna pinguior et ius stolae concedatur⁶.

543. — In his vero stolae exigendis iuribus quanta Pastor bonus cum discretionem, prudentiam ac caritatem se habere debeat tam frequenter per tractationis cursum monuimus, ut iterum heic recolere fere inutile autumemus. Hoc unum rursus memoramus, nimirum, ut quanta apostolico pastoralique suo ministerio ex nimis tenaci immodicaque horum iurium exigentia gravissima immineant pericula, quanta scilicet, spirituali fidelium bono detrimenta pariat, in suae mentis sacrario positus, sedulo coram Deo Pastor consideret, diiudicetque; quo, nisi sordidissimo avaritiae exagitetur daemone, ad ea omnia cavenda, nullo negotio, incitabitur. Animarum bono adeo omnia semperque cedant, ut tum in aevo, tum in aeternitate, quae Dei sunt in omnibus semperque triumphant! Quod utinam omnes intelligerent!

§ III. De quibusdam incertis paroeciae ac Parochi emolumentis.

SUMMAE RERUM. — 544. De fidelium oblationibus quae, generali ratione, jubeant canones. — 545. De eorum communibus oblationibus, et ad rem industriae practicae. — 546. De extra ordinem collectis. — 547. Generatim quae in re prae oculis habenda sint. — 548. De personalibus eleemosynis Parocho traditis, et ad rem practicae normae.

544. — Quamvis et postrema in praecedenti memorata paragrapho, quadam saltem ratione, et fidelium oblationes dici possint, attamen ad rem nostram pastoraalem quod pressius attinet, has tantum tales dicimus quae, potiusquam privatim ac personaliter, intra vel extra Ecclesiam pro certis definitis finibus, tum communiter, tum extra ordinem publice quae-

¹ Phillips, *Compendium Iuris*, § 169.

² Aichner, *Op. cit.*, § 230, n. 2. -
Cfr. S. C. C. 10 jun 1896.

³ Id. *ibid.*

⁴ C. XLII, *De Simonia* X [v. 3].

⁵ Ojetti, *Op. cit.* ad verb. *Iura stolae*.

⁶ S. C. C. 11 maj 1888.

ritantur. Ceterum in primis et ante omnia et heic quoque generales sacrorum canonum¹ normas recolere haud vanum erit:

I. Oblationes fieri solitae in ecclesiis, aliae ad ipsam Ecclesiam, aliae ad Parochum, aliae demum ad clericos ecclesiae adscriptos pertinent, ratione habita juris communis, statutorum localium, consuetudinis, et praesertim intentionis donatorum.

II. Ad Ecclesiam pertinent: a) dona quae fiunt in arcis et capsulis, vel in publicis collectis pro cultu aut aedificio sacro, b) dona quae fiunt ad pedes statuae vel imaginis, c) pecunia quae datur pro locatione sedium in ecclesia, d) pars assignata Fabricae ex rebus funeralibus, et redditus percepti occasione eorum quae Fabrica in sacris caeremoniis subministrat.

III. Ad Parochum regulariter pertinent, tanquam iura stolae, ut aiunt, oblationes de quibus non constat ad alium finem ex intentione fidelium destinari; stat, enim, pro Parocho, in hac materia, favorabilis praesumptio juris.

IV. Parocho, etiam non celebranti, per se accrescunt oblationes quae fiunt in ecclesia vel extra ecclesiam, occasione administrationis sacramentorum, et, generatim, functionum parochialium vel sacerdotalium quae solent ab ipso jure ordinario perfici, salva tamen remanente obligatione solvendi cooperantibus legitimis expensas; nec tenetur illis Parochus aliquid, ultra taxam pro ipsa functione statutam, solvere, nisi tamen expresse fideles ipsam celebrantis personam majori oblatione remunerare intenderint.

V. Etsi regulariter sacerdos debeat solvere stipendium integrum pro Missa acceptum ubi illam alteri celebrandam commiserit, Parochus tamen qui, ut talis, pinguis pro Missa [v. g. matrimoniali, foundationis, etc.] stipendium accepit, illud tantummodo tenetur cooperatori, suo loco celebranti, solvere, quod per consuetam taxam determinatum existit². Et de hoc mox diximus.

VI. Sacerdotes qui non intersunt exsequiis ad quas deputantur, aut qui, licet assistant corpore praesentes, non participant precibus quae pro defuncto recitantur, non possunt illaesa justitia recipere, nec retinere oblationes a fidelibus solutas.

VII. Jus non habet ad honoraria assistentiae in Missa solemnem ille qui non assistit. — Excusat ab assistentia moralis impossibilitas, v. g. morbus, vel gravis necessitas sacri ministerii, non vero exercitium ministerii quod ad aliud tempus differri potest, v. g. auditio confessionum.

545. — Hisce positis ut perspicue bono Pastori afferamus utilitatem, communes ab extraordinariis fidelium oblationes distinguendae veniunt; et quoad primas [communes nempe ac consuetas], peculiare casus recolemus, nimirum:

a) Collectae in sacris quaeritatae functionibus, et quae tum in missarum celebratione, tum in sacris concionibus aliisque peculiaribus adiunctis, complurimis in locis, publice et ordinario per aedituum sciscitari consuescunt, qua in re animadvertendum:

I. Communes loci consuetudines, a synodalibus, ut plurimum, obfirmatae statutis adeo servantur ut hae quaeritationes neque minuantur, neque adaugeantur, et ad rem rationes in comperto sunt.

¹ Cfr. DD. cit.

² S. C. C., 11 maj 1888.

II. In his a concionatoribus commendandis fidelibus, prudentiae ac discretionis normae illae alibi indigitatae¹ prae oculis habeantur.

III. Solemniore missae ad modum contentus annuntiare et celebrare, et pro eisdem maius quam soleat sedium pretium requirere; sacerdos intra celebrationem missae aut functionem sacram quam peragit, ad collectam in Ecclesiam faciendam, altare vel sanctuarium deserere, quantum dedecet omnibus patet.

IV. Quibusdam in Nationibus illud quoque in moribus est, ut ad solvendas cultus expensas, aut ad Pii Operibus adiumentum comparandum, contentus, excursions, conventus [vulgo dictos *piques*], spectacula, convivium, lusus aliave similis generis delectamenta adhibeantur. Ubi haec, nunquam satis dolenda necessitas habeatur, ut Ordinarii haud accedente venia nil Pastores in re decernant, ac quae pro Pii Peregrinationibus et similibus alibi monuimus², fideliter servent, quam maxime suadendi sunt.

V. Ut in his publice quaeritandis, tali ratione agatur ut aedituus vel quis eius loco, haud importune ac, eo magis, cum negantibus inurbane se habeat, sedulo devitandum est. Quapropter si aliquid in re quaeritantes admittant severe redarguantur, et si non emendentur, hoc munus aliis [numquam, ut plurimum, pueris foeminisque] committendum est.

VI. In magno populi concursu, plures quaeritantes statuatur, quibus peculiares Ecclesiae partes assignari debent, ac, si necessitas postulet, saltem ad majorem Ecclesiae ianuam alii constituantur.

VII. Ne praevaricationi sit locus, quae in quaeritantium sacculis pecuniae vis continetur, singillatim auferatur, ac [ut plurimum] in capsis hinc inde in Ecclesiam constituendis [ac aptis muniendis clavibus] deponenda est, ex quibus, unoquoque saltem in mense, asportanda. Ut vero a pastoralis ministerio quidquid pecuniae aviditatis suspicionem ingerat auferatur, potiusquam hoc munus sibi reservare, fidei personae committere consulendus Pastor est, qui, ad minimum, ut Ecclesia tantum clausa, hoc praestet suadendus videtur.

b) Quadam saltem ratione, et collectae illae ab Ordinario in omnibus paroecialibus ecclesiis per annum constitutae, communes ac ordinaria dici possunt, de quibus cuncta quae ad rem Episcopo statuere libuerit servanda veniunt. Attamen, ne dubitationi sit locus, eas aperto fidelibus enuntiabit Pastor, qui eleemosynas has quamprimum ad Cu-

¹ Cfr. indic. alphab. *Concionatores. Eleemosynae.*

² Cfr. Ibid. *Peregrinationes.*

riam mittet, a qua receptionis schedulam suscipiet, et in paroeciali archivo reponabit.

c) Et collectae illae extra Ecclesiam per familiis habitae, quae uti decimarum vel primitiarum ad instar, aliquibus in locis a Parocho ipso quaeritari solent, et oblationes ordinariae dici possunt, in quibus quae prudens discretaque alibi indigitata ratio servanda sit, haec iterum commendare opportunum erit.

d) *Subscriptiones ac collecta pro actione sociali, potestati ac vigilantiae Ordinariorum subjiciuntur*¹.

546. — Quoad caeteras publicas ac vere extra ordinem collectas spectat, ut plurimum:

a) haec tantum quae ab Episcopo iubentur in paroecia peragantur, et ut in publicarum calamitatum contingentis, saltem indirecte per Ordinarium, liberalitatem suam fideles ostendant a Pastore prudenter suadeantur. Quae, enim, laicalis philanthropiae laicalia portenta sint communis experientia docet...: quae, tantam saltem in burocratiam pecuniae vim impendit disperditque, ut vix indigentibus quidquam supersit.

b) Semper vero ac in adiunctis omnibus, tanta cum prudentia se habeat Pastor ut de collecta pecunia omnimodam rationem reddere possit. Quapropter receptionis schedulas ab omnibus ac semper expostulet, et si cuiusdam ad rem Comitatus ipse praesent, adeo omnia inspiciat cognoscatque, ac suae gestionis documenta sibi comparet ut, a saepe nimis consuetis, ac fere semper malignantibus suspicionibus dicerisque se defendere valeat. Quum, enim, de pecunia agatur, haec quoque si fidere bonum, adeo diffidere melius, ut prudentiales industriae omnes uti, haud superfluae habendae sint. Intelligenti pauca...

547. — Generatim ut in his coeterisque omnibus quaeritandis eleemosynis, tum in frequentia, tum in ratione, quidquid nimietatem, vel inopportunitatem sapit sedulo devitetur, numquam satis Pastori consuli potest. Haec, enim, omnia quae nullo negotio in laicis fideles admittunt ac, nimis facile, excusant, in sacerdotibus vero ac Pastoribus assidue reprobant indesinenterque carpunt. — Insuper, ne ex eorum tantum liberalitate de ipsis iudicium Pastor ferat, quo de pastoralis suo ministerio negotiationem agere videbitur, sedulo advigilet. Tum, igitur, in numero, tum in modo, parce ac perquam prudenter in re agendum est, ne hinc inde vexati fideles, dum extra ordinem eleemosynas dene-

¹ S. C. Negot. extraord. *Instruct.*
27 jun. 1902.

gant, et ordinarias minuant vel radicitus demant, et, eo magis, ne iniustis de causis [ut tantum ex liberalitate] de eorum personis operibusque iudicium decerneretur.

548. — Quoad, tandem, privatas ac, ut ita dicam, personales quasdam eleemosynas Pastori oblatas:

a) an quidam ita se habeant, ut ad nonnulla assequenda, eius animum facilius captare possint, sedulo ipse advigilabit, ne horum effectus mancipium, improvida saltem deinde decernere adstringatur.

b) Si de conspicuis ac frequentibus elargitionibus agatur, an earum fons legitimus sit, sedulo inquirat Pastor. Et temporibus, enim, nostris, quasdam haberi mulierculas quae, ad sacerdotis sibi captandum animum, hac magnanimitatis mania laborant, ac in ipsum utuntur certum est. Sed has sedulo devitare oportet, ne, una cum omnium suspitione primum ac risu, et restitutionis debitum deinde sortiatur.

c) Receptarum eleemosynarum fines adeo sedulo spectandus semper, ut nil extra, vel contra ipsum in aliud impendatur. Enimvero, dum, si illas quas, absque praecisis indicationibus eleemosynas elargiuntur fideles, ad Parochi arbitrium eas distribuere ipse potest; si, e contrario, ad quemdam scopum, vel per certas donentur personas, in hunc et in has tantum impendendas esse in comperto est.

d) An vero de his elargitionibus tum cum beneficiatis, tum cum aliis silendum sit, potiusquam ex praeceptis, ex donantium intentione atque ex adiunctis dicendum est. Dum, enim, quidam, evangelicum illud colendo: *nesciat sinistra tua, quod donavit dextera tua*¹, propriae liberalitatis opera sedulo abdere contendunt, alii, e contra, diversimode optant, vel saltem aliam agendi rationem haud ex toto semperque refugiunt.

§ IV. — De Paroeciae Tabulario seu Archivio, ac de his quae inibi adservanda veniunt.

SUMMAE RERUM. — 549. Animadversiones praeviae. — 550. Ubi tabularium ac quae ratione constituendum sit. — 551. Quae inibi adservanda sint. — 552. De canonicis libris in genere ac in specie. — 553. De tabularii usu ac custodia quae.

549. — Uniuscuiusque rectae administrationis eius *tabularium* seu *archivum* maximi momenti negotium est, quum omnia de antea actis habitis negotiis documenta ac ad rem informationes ac notitiae in eo, perquam diligentissime ac ex ordine, adeo custodiantur, ut necessitatis utilitatisque

¹ *Math.* VI, 3.

causa, quaerentibus praesto sint. *Nihil, enim, frequentius in veterum Patrum scriptis, sacrisque Conciliorum et Ecclesiae sanctionibus legitur, quam scrinia, tabularia, archiva, conditoria et armoria, a temporum atque hominum iniuria servandis rerum gestarum diplomatibus, codicibus instrumentisque constructa, unde fides et veritas rerum ad successorum recordationem transmitti posset. Nec tantum veteres quidem Romani Pontifices antecessores Nostri singularem hanc providentiam in custodiendis ejusmodi actis monumentis identidem ostenderunt, sed ceterarum quoque ecclesiarum Pastoribus tantae rei gravitas maxime innuit, proptereaque rerum sibi concreditarum testes litteras ad instructionem futurorum summa fide servari voluerint, quippe qui probe noscent quantae inde utilitates manarent*¹. Ne, igitur, in qualicumque etsi parva paroecia desit tabularium perneccessarium est².

550. — Sed tabularium constituere minime sufficit, immo ut apte fiat, diligenter adhibeatur, ac sedulo custodiatur omnino oportet. Quapropter:

a) Quoad eius constitutionem quamvis hi qui in paroeciae sacristia illud constituunt haud desint, attamen ut eius securitati meliori quo fieri potest ratione consulatur, temporibus praesertim nostris [quibus distractionis pericula facilius habentur] in peculiari canonica ad hoc exclusive deputato cubiculo, ponere opportunius videtur. Quod si fieri non possit, ut, semper in canonica, peculiare ad hoc armarium [aptis reserandum clavibus quas Parochus servet] adhibeatur, omnino perneccessarium est. — Ne vero heredum usurpatio haberi possit, sive in ipso armario, sive saltem in eius clavibus *Archivum Parochiale* inscribere decet³.

b) Quoad internam tabularii dispositionem ac ordinem spectat, nostris praesertim temporibus, systemata plura, quibus medianibus adservanda aptius disponuntur ac facilius ad manus sunt, in usu veniunt. Quum vero unum potiusquam aliud commendare nostri haud sit, ut locorum circumstantiis attentis, systema illud quo simplicius, ordinatius ac sollertius tabularii fines assequi licet eligatur, consulendum videtur. Coetera, enim, omnia quae utiliora forsitan sunt, necessariis locum cedere debent.

551. — Quae inibi adservanda sint ipsum Parochi munus aperte demonstrat, nimirum, omnia quae ad propriam [non vero Fabricae] tum

¹ Benedict. XIII, *Maxima vigilantia*,
14 jun. 1727.

² Cfr. S. C. C. *Instruct. ad Ordin. Ital.*
30 aug. 1878.

³ Cfr. Berengo, *Op. cit.* n. 240, et
Frassinetti, *Op. cit.*, pars I, cap. XV, 2.

spiritualiem, tum temporalem *paroeciae* administrationem pertinent; caetera autem ipsis extranea, haud locum heic obtinant¹. Pressius vero ad rem:

I) Involucrum *n. I*, in quo quidquid ad paroeciale beneficium pertinet asservetur.

II) Involucrum *n. II*, in quo omnia quae a possessionis die usque in praesentem diem, eiusdem beneficii administrationem spectant custodiantur.

III) Involucrum *n. III*, in quo tum anteacti, tum praesentis temporis paroeciae *animarum status* [de quo pressius *Ritualis* docet *Romanus*] contineatur. Ut vero singularum paroeciae familiarum pro unaquaque constituenda pagella, in eius ab ipsa emigratione facilius expungi possit et alias in paroeciam supervenientes aptius ex cognominum ordine inibi collocare Parochus valeat, systema illud per schedulas, nunc fere ubique consuetum, suadendus est. Attamen in familiarum emigratione, earum schedulae haud extinguendae sunt, sed, ut legitime petentibus praesto esse possint, alibi in separato involucro servanda.

IV) Involucrum *n. IV*, in quo quidquid epistolare commercium cum Ordinario ac Curia episcopali paroeciae administrationem spectans necnon pastorales Episcopi litteras et similia pressius refert [non vero privatam parochi personam] reponendum est.

V) In involucro *n. V* omnia quae cum civili auctoritate epistolare commercium ad paroeciam spectant reponi debent.

VI) Involucrum *n. VI*, in quo cuncta episcopalis paroeciae visitationis acta contineantur.

VII) Involucrum *n. VII*, in quo universa ad Fabricae administrationem spectantia, et de quibus sub n. 528 c. 1 diximus in promptu sint.

VIII) Involucrum *n. VIII*, piorum legatorum ac missarum onerum, titulos, una cum annuali satisfactione continens.

IX) Involucrum *n. IX*, SS. Reliquiarum, sacrorum vasorum et indumentorum elenchum cum eorum descriptione custodiat.

X) Involucrum *n. X*, Confraternitatum documenta contineat.

XI) Involucrum *n. XI*, in quo recentiorum auctoritatis civilis in cultu legum exemplaria reponantur.

XII) Involucrum *n. XII*, in quo cimeliorum ac exquisitoris artis in paroeciae ecclesiis existentium monumentorum catalogus,

¹ Berengo, Op. cit. n. 240; *Instruct. Pastor. Esystemens*, 751.

breviter, ac exacte, describatur. Ad rem, italis pro regionibus, nuperime statutum est:

I) Horum omnium catalogus pro horum conservatione ab Episcopo diocesano constituto Comitatu a Parochis tradi debet.

II) Si, procedente tempore, aliquid in re immutetur, Comitatum ipsum monere Parochus adstringitur.

III) Iuris canonici normae pro horum objectorum alienatione ac permutatione [alibi recensitae] omnino confirmantur.

IV) Quarumcumque his omnibus spectantia Episcopi iura [eius nimirum recognitio ac, pro alienatione ac permutatione, venia] iterum habeantur¹.

XIII) Involucrum *n. XIII*, in quo omnia quae, quamvis ad paroeciam pertinentia, in praedictis categoriis locum invenire haud possunt, ibi adserventur.

Ad faciliorem vero horum omnium distributionem ac reperitionem adsequendam, in uniuscuiusque involucri dorso, vel numerum progressivum, vel [quod minus consulendum] eius categoriam inscribere opportunum erit. Sed si prima ratio utatur [quae ad secreti custodia validior censi debet] peculiare ac parvum regestum in quo categorias omnes una cum numero conferantur redigere, ac apud se ipsum servare, decet. Semper vero in uniuscuiusque altera involucri pagina, documentorum in eo contentorum omnium paullatim describere elenchum, ac ea cum numero progressivo distinguere necessarium est.

552. — Sed quamvis hucusque recensita in tabulario adservanda magni momenti facienda sint, attamen canonici libri² inibi accuratissime custodiendi primas partes obtinent, de quibus per partes agendum est. Quapropter:

a) Quoad canonicos libros in genere:

I) Cum de eorum constitutione agatur, non colorata, sed alba tantum charta, quae, quamvis tenuis, attamen solida sit, eligatur; quapropter manufactam chartam seligere semper praestabit.

II) Tale semper adhibeatur atramentum quo, procedente tempore, scripta conservari possint: quapropter atramentum illud quod ex gr. ex anelina efficitur, omnino respuendum est.

III) In his omnibus describendis regestis tanta adhibeatur cura ut quidquid contineant si non calligraphice omnino, adeo tamen intelligibiliter habeatur, ut legentibus perspicue praesto sint, ac nulli dubitationi locus relinquatur. Tum omnium nomina ac agnomina, tum dies, mensis ac annum *per extensum* [non vero per abbre-

¹ *Instruct. Segr. Status*, 12 dic. 1907.

² Cfr. *De quinque libris paroecialib. et Rit. Rom.* ad calc.

viationes ac initiales] exarentur, et si animarum regestum excipias, schedulas ne adhibeantur, sed volumen compactum conficiatur. Erroris causa, paginae ne dilacerentur, et aliae in eorum loco ne sufficiantur. Abrasiones vero, quae et illegitimum efficere possunt documentum, omnino devitandae sunt, et si harum necessitas habeatur, ut, aptis postillationibus, a primum describente documentum confirmetur, necesse omnino est.

b) Quoad hos canonicos libros in specie¹, sequentes constituantur, ac in tabulario adserventur:

I) Baptismorum regesta, nimirum:

a) Baptismorum in regularibus adiunctis *in ecclesia* collatorum.

β) Baptismorum quos laici *in domibus* subministraverint.

γ) Secretae circa quosdam baptismos adnotationes ac notitiae.

II. Regestum confirmatorum.

III) Matrimoniorum regesta, nimirum:

a) Sponsalium, ad decreti *Ne temere* mentem digestum²;

β) Bannorum;

γ) Matrimoniorum celebrationum;

δ) Involucrum in quo documenta ad singula matrimonia spectantia servantur.

IV. Paroeciae *animarum status* regestum, in quo conficiendo [ut diximus] separatas schedulas, utilius, adhiberi possunt.

V) Defunctorum regestum³.

Quae vero in his redigendis omnibus peculiaris ratio a Pastore servanda sit, tum quae *Ritualis Romanus* praescribit, tum quae, in voluminis calce, nuperrimam iuxta legislationem redacta paradygmata afferimus, satis superque dicent.

553. — Quoad tabularii usum ac custodiam:

a) ut has curas Parochus sibi tantum reservet, ac ne eius clavem coeteris committat, consulendum videtur. De re, enim, invidiosa, quae tum in temporali, tum in spirituali paroeciae administrationem complurimum influit, agitur heic, quum tum propriae, tum alterius operae iustificationes, quae, interdum, et spiritualia fidelium bona pressius attinent, tum ipse, tum successores sui, ac Ordinarius ex tabulario desumere debeant. Quapropter qui, systematica ratione, tabularii cu-

¹ Cfr. Trid. Sess. XXIV, *De reformat.* c. 1 et 2; *Rit. Roman.* tit. X, c. 3.

² Cfr. paradygm. XXVII ad vol. calc.

³ Cfr. paradygm. XXXVI ibid.

ram ac custodiam neglexerint gravem culpam vix effugere, iure meritoque DD. tradunt.

b) Sicco in loco archivum constituatur, ac eius parietum tabulae adeo inter sese connectantur ut pulvis inibi haberi nequeat; interdum cuncta quae inibi adservantur, luci aeri que pandantur, ac volumina singula excutiantur.

c) Documenta vero inibi reponenda suis involucris, iuxta series, ut diximus, disposita, statim collocentur ac in fasciculi pagina inscribantur: quae vero e tabulario auferuntur sedulo inibi reponantur, ac horum documentorum tantum apographum, non vero eorum originale exemplar, iuste petentibus, tradatur.

d) Nil extraneis, praesertim ad matrimonium quod refert¹ tradatur, absque Ordinarii venia. Ad rem:

Licet Parochis exempla authentica attestacionum baptismetis ad petitionem fidelium exscribere ex parochiali libro, solitis taxis perceptis, a respectivis tamen Ordinariis recognoscenda et approbanda, neque in registris alterius paroeciae et dioeceseos consignanda, nisi Episcopi aut eius delegati iussu, qui eorum exemplorum authenticitatem recognoscat simul cum promotore fiscali².

e) Tabularium adire haud licitum publico sit. Quidquid, enim, archivum continet, in *unicum* Ecclesiae dominium est, eiusque directio ac ordinatio ad potestatem ecclesiasticam *tantum* spectat³. Cuius juris, quantumvis tenuis, sicut et ceterorum omnium sanctae Ecclesiae Dei jurium, studiosissimus Animarum Curator sit. Nam [quod uti huius operis nostri tessera habeatur], qui gregis Pastor constituitur, usque tamen Ecclesiae filius manet, cui semper et in omnibus verbo et opere addictissimum se profiteri debet. *Ubi Ecclesia ibi spiritus: et uti spiritus Dei, ibi Ecclesia*⁴.

¹ Delib. *Episcoporum Longobard.* epist. 4 nov. 1891.

² S. C. C. 3 jul. 1909 a Bucceroni in *Supplement. allerum*, pag. 67, relat.

³ Cfr. Phillips, *Compendium Juris ecclesiastic.* § 169, n. 18.

⁴ S. Iren. *adv. haer.* III, 40.